



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Nilus Abbas. 26. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

visus per somnum ipse CHRISTVS impulit. Itaque brevi post mortuus pater vitam in acceptis filiæ tulit. Cæterum fuit è Parnasso nescio quis Aglai-dus, qui oblitus virgines esse, quas colebat, Musas, impuris amoribus extremum JVSTINAM deperi-bat. Sed Palladem scilicet castitatis ægide con-tra omnes preces & minas armatam reperit. Itur ergo ad CYPRIANVM nobilem tunc cum primis magum, & orco omnes amores contra JVSTINAM evocantur. Sed omnes faces incestæ, omnia tela unico crucis clypeo repelluntur, & totus Cu-pidinum exercitus ab unicâ fugatur Diana. Enim verò irasci hic arti suæ, sed multò magis artis ma-gistro cacodæmoni CYPRIANVS : & quia hic vi-ctum palam se fatebatur, nuntium illi mittere, jamque libros & in libris Venerem Vulcano dare, ipse Christo & JVSTINA adhærere. Cum hac in exilium, in carcerem, in equuleum, in bullientes à flammis sartagines, ad palum denique & secures ivit. Itaque quando hodie virginis JVSTINAE vi-rum magum CYPRIANVM, hoc est oviculae lu-pum, junximus, an non aurea secula reduximus?

*Ex Lippeloo.*

*Illum amemus, quem amare debitum est: illum oscu-lemur, quem osculari castitas est: illi copulemur, cui nupsisse virginitas est: illi subjiciamur, sub quo jacere supra mundum stare est: illi commoriamur, in quo vita est. S. Paulin. ep. 4.*

### S. NILUS ABBAS. 26. Septembris.

**O**ptime omnium post conjugis mortem vi-duam vitam NILVS egit, quando solus jam in locis solis egit. Sed quid dico solus, quando ex-empli socios complures, & Cryptæ Ferratae Abbas

im-

16. Sept. VITÆ SANCTORVM. 469  
imperium in Magnates, & adçò Imperatores &  
Pontifices habuit? Nam, ut alios taceam, Eu-  
praxium Imperatoriâ præfecturâ superbum mor-  
bo curavit, & inter monachos adscriptum morte  
paulò pòst felici beavit. Alios viros Principes,  
quòd inventum monachi cucullum riderent, gra-  
viter objurgavit, edixitque id fore, quod factum  
mox est, ut seriò hunc sed serò ante mortē essent  
petituri. Ipsum Joannem XVI. Pont. & Othonem  
Imp. censoriâ virgâ notavit. Et ille quidem cùm  
videre errorem suum nollet, oculos amisit; hic  
pœnitentiâ ductus patrem sensit B. NILVM, & ma-  
nus hujus, in quas ille coronam unaque se & sua  
tradiderat, benè precantes habuit. Quidvis etiam  
Otho promittens, si pèteret modò NILVS, illud  
audivit, nihil nisi animum Imperatoris ex toto  
imperio se petere. memor esset, quos orbis nunc  
adoraret fasces, Dictatori olim supremo submit-  
tendos. Hoc Principibus, illud omnibus omnino  
proderit. Invisere ad NILVM viri è primâ nobili-  
tate iidemque literati. Sed ille inanes disputan-  
tium argutias exosus, thesin legi jussit inexpecta-  
tam, Simeonis Eremicolæ inquam visum, quo vix  
decimum quemque mortalium cælo asserendum  
affirmabatur. Cohorruere ad hæc omnium animi  
tunc. At nostri philosophi Heracliti omnes sunt,  
tident, nescio an tam feliciter decimandi. Ex Ba-  
ron. tom. 10.

*Si quem videris superbiâ tumidum, habitu splendi-  
dum, & comitantium catervâ reliquos prementem, ille  
ne invideas, neque perturberis, sed fortis ac temperans  
esto, & eum paulò pòst extintum aspicies: soli enim illi  
perpetuò florent, qui Dei obtemperant voluntati. S.  
Ephr. in Vit. rect. rat.*